CAROLI DE NOYELLE SOCIETATIS IESU VIC. GENERALIS. EPISTOLA DE VITA AC MORTE IOANNIS...

Charles : de Noyelle

Noll 24.

CAROLI DE NOYELLE

Societatis Ieſu Vic. Generalis.

Epiſtola de vita ac morte

IOANNIS PAVLI OLIVA

Eiuſdem Societatis Præp. Generalis.

Reuerende in Chriſto Pater.

QVod à me dudum promiſſi fides, & communia vota Societatis requirunt, penitiorem videlicet, ſaltem ex parte cognitionem Vitæ, mortiſque Parentis Optimi Ioannis Pauli Oliua, cuius nuper exceſsum præſcripſi, nunc denique breui narratione intra limites epiſtolæ præſto. Morbus qui ei ſupremus, nobiſque maximi luctus cauſa fuit, paucos admodum dies tenuit; niſi referre ad eumdem velimus, quibus diu antè, multumque exercitus fuit ventriculi dolores, ciborumque faſtidium; quos tamen maiore quàm ætas, & valetudo ſineret, animi robore pertulit; adeoque inuicto, vt non vſitatis modò laboribus, ſed Congregationi quoque Patrum ſufficeret. Alloquutus eſt enim aliquoties tum ſingulos, tum vniuerſos, priuatim ac publicè quemadmodum & Prouinciarum ſtatum, ac poſtulata exponentes per otium audiit, eoſque reſponſis paternis, & monitis non ſine communi Patrum ſolatio, atque approbatione dimiſit. Interea tentari cœperat leuiore in ſpeciem, nec ſe ſe omnino prodente febricula, cuius primos, alteroſque impetus diſſimulanter extra lectum, immò extra domum ita ſuſtinuit, vt neque Sacrum facere prætermitteret, nec expeditioni negotiorum diligentem operam dare. Quinto demùm die, Sacrificanti adeſſe tantùm potuit, eiuſque manu Sacram Sinaxim accepit, ac ſubinde veteri more præfuit duplici Conſultationi. Iam ſexto, & quod reliquum fuit diei ſeptimi, quo à nobis auulſus eſt, conſilio potius Medicorum, quàm vi morbi manifeſta in lecto detentus, cùm Eccleſiæ Sacramentis, & Pontificia benedictione ritè munitus eſſet, integro ad extremum vſque ſpiritum, ſenſuum, & mentis vigore piè obdormiuit in Domino 26. Nouembris, die Mercurij, paulò poſt horam vigeſimam, anno ætatis octuageſimo ſecundo,

do, initæ Societatis ſexageſimo quinto; editæ in ea profeſsionis quadrageſimo octauo, ſupremæ Præfecturæ vigeſimo primo, cùm alios olim fermè quatuordecim in regenda partim Domo Probationis, partim Collegio Germanico inſumpſiſſet.

Ingenium eius, atque multiplicem eruditionem, tum habitæ coram quatuor Pontificibus, tum è celeberrimis (præſertim in Vrbe) Cathedris dictæ Orationes, & ſermo etiam familiaris expreſſit; ac poſteris exhibent edita in lucem plura Volumina, quæ illa quidem niſi amica vis extorſiſſet, perpetuis latebris, iam planè ſepulta damnauerit. Ceperat ea vix annum vigeſimum natus eum Philoſophiæ operam daret: auxit ſubinde tanto ardore, atque aſsiduitate ſtudendi, vt quidquid illi temporis dare per leges noſtras, & religioſæ vitæ conſuetudinem liceret, totum impenderet, interrumperet ægrè, ſtatimque vt poſset, vehementiori contentione ſarciret. Vix vllus eſt celebrium Scriptorum, quem non ille totum ſemel, atque iterùm euoluerit, excerpto quod in ſingulis erat pulcherrimum, & in pluſquam centum tomos ſua vt plurimùm manu deſcripto: additis paſsim ad marginem, quibus applicari eæ ſententiæ poſſent, compluribus argumentis: hoc apparatu copioſiſsimo inſtructus ad dicendum acceſsit, audituſque in Vrbe fuit per quadraginta & ampliùs annos; in Sacello autem Pontificio annis omninò ſexdecim ſumma omnium auditate pariter, & commendatione.

Nec minor fuit prudentiæ opinio. Paſsim eius Conſilium expetebatur, quod tamen iuuandi potiùs, quàm placendi ſtudio, conſulentibus aptiſsimum dabat. Hinc Authoritas Viri præcipua æſtimatione apud Sapientes, apud cunctos amore. Controuerſias ad illum ſuas multi velut ad Iudicem, & ſequeſtrem deferebant; quas ipſe inter diſsidentes medius componebat, integra partium gratia, & pari vtrimque fiducia in futurum: dignus propterea, qui ſedandis non ſemel grauiſsimis in Vrbe motibus iuſsu Principum interpres, & conciliator adhiberetur, adeò facili ſucceſsu, vt plenos difficultatum, atque ancipitis periculi nodos, mira dexteritate, & qua erat apud omnes integerrimæ fidei, ac Sapientiæ opinione diſsoluerit: auditus quoque libenter; immò & ad ardua negotia ſæpè accerſitus à Summis Pontificibus, quorum tribus ad ſupremam cum morte luctam præſtò fuit.

In miſcendis ſermonibus de Deo, rebuſque diuinis inter Magnates, alioſque à quibus officij cauſa conueniebatur, par eius pietas, atque ſuauitas. Quippe vel imprudentes, aliaque omnia cogitantes, eò deducere conſueuerat, quò ipſum rapiebat vis inſitæ animo Religionis atque Virtutis, cætera ipſius ornamenta tametſi præclariſsima longo interuallo præeuntis. Sacroſancto Miſsæ ſacrificio, quotidie intra domeſtici Sacelli anguſtias (niſi cùm ſolemnibus diebus publicè faceret) horam ſolidam & quadrantem inſuper dabat, eumque morem tenuit, donec poſtremis vitæ annis, cùm ob ætatem inſiſtere pedibus tamdiù non poſset,

ali-

aliquid detrahere coactus eſt huic ſpatio; quod tamen adhuc ad horam proximè accederet.

Rerum æternarum meditationi, tum ſub auroram, tum per diem prolixiùs indulgebat, crebroque ſiue inter ſtudia, ſiue inter negotia mentis in Cœlum aſcenſu, præſertim in ſubitis rerum conuerſionibus, quarum vel proſpera, vel aduerſa excipere viſus eſt, immoto ſemper vultu & pectore ad vtramque ſortem egregiè præparato. Ideo promptus ad accipienda pro tempore atque expedienda conſilia, nec ſegnis ductu prouidentiæ, nec anxiè; quippe cum omnia Diuinæ gloriæ, & publici boni ſtudio metiretur, quaſi perturbationum animi, aut victor, aut expers, & ab humanorum caſuum, vel confinio, vel ſenſu alienus.

Conſcientiam expiabat confeſsione plerumque quotidiana, nec rarò inter eumdem diem repetita, in Sanctos Cœlites quorum memoriam è Romano Martyrologio ſemper manè recolebat, mirifico ſtudio incenſus, & in eos præcipuè, quos vel in Patronos olim ſibi adoptauerat, vel ignotos vulgo ex peculiari cultu deſtitutos nouerat, vel ſingulari aliquo beneficio propitios fuerat expertus.

Tanto precandi ſtudio non illud ceſsit, quo ſui diuexandi affictandique inſatiabili tenebatur, ac planè ſingulari: adeò ſeuerè corpus ſuum recipere ſolitus vt horrorem non minus, quàm admirationem excitaret. Prætei communia ex funiculis, immò ex contortis fidibus flagella ferreæ ſe ſe catenulæ verberibus, aut mordacium vrticarum, & liquefactæ ceræ ſtillantibus guttis vſque ad liuorem, ad ſanguinem, ad vulnera excruciabat; quæſita etiam ſpontè amaritie ciborum & nauſea, electoque ad exquiſitiora id genus tormenta, eo potiſsimùm tempore, eùm liberioris auræ captandæ gratia, ad villam diuertere videbatur. Tunc enim verò indulgebat feruori ſpiritus & piam eiuſmodi crudelitatem explebat, quatenus obedientia ſineret, à qua ſimile in ſe animaduertendi veniam pridie quàm Vicarius Generalis renuntiaretur obtinuit. Equidem vt quondam à P. M. P. Mutio Vitelleſchi Generali petierat, ſe vt in numero coadiutorum ſpiritualium referret, ſic & ſupremo in Societate Magiſtratui magno rationum pondere ſubtrahere ſe ſe conatus eſt, eodemque tùm ſtatim poſt electionem, tùm plures adhuc poſt annos abdicare. Certè quoad vixit, illo ſe indignum, ſuiſque Deceſsoribus, quorum memoriam nunquam ſine elogio recolebat, longè imparem duxit. Alios præterea iuſſit ſuum ſibi teporem, indignitatemque ſuam aſperis reprehenſionibus, ac penè maledictis exprobrare, quæ interdum ſpontè oblata quemadmodum, & ſubditorum querelas, æquo animo pertulit, in aduerſos pronus, ac ferè benignior. Societatem, cuius vbique ſpiritum, quà feruidis adhortationibus, quà priuatis monitis, quà miſſis ad Prouincias litteris, & præſidium accurato delectu cuſtodire ac propagare nitebatur, ſumma æquitate, charitate, conſtantia, moderatione adminiſtrauit, auxitque non parum ſui nominis fama, ſupremis

premis iuxtà infimiſque gratioſus ; atque ingenti frequentia omnium Ordinum (præſertim Religioſorum) quos inter familiæ totius Sancti Dominici cum ſuo Generali Magiſtro, inſigne ſpectaculum fuit atque exemplum, cum iuſta ei more noſtro perſolueremus, non ſine gemitibus ac lacrymis elatus, æternum ſui deſiderium & ſimilium Præpoſitorum votum reliquit. Vt compenſetur alterum, alterum impleatur, ad Paternam Dei miſericordiam orbæ Societatis filij aſſidua vi Sacrificiorum, & precum, aliarumque piarum exercitationum accedamus, magna ſpe freti, nec defutura nobis eius in Cœlo præſidia, qui minimum hunc in Eccleſia cætum, quamdiu inter nos vixit non minùs privatæ Virtutis, quàm publicæ adminiſtrationis laudibus exornauit: Ac me R. V. ſacrificijs commendo. Romæ 20. Decembris 1681.

Rev. Veſtræ

Z 1011 24

Servus in Chriſto

Carolus de Noyelle.

99 955691

MC